

D. O. M.

DE LUXATIONIBUS.

THESES


ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.



OSSA partibus corporis mollioribus non tantùm figuram quandoque, thecam, aut fulchrum præbent, ſed inter ſe diverſimodè conjuncta, earum functiones ad fines varios diſponunt. Hîc firmiter diſpoſitione propriâ, ligamentis, retinentur oſſa, motuſque quoſdam vix edunt; illîc laxiora & ad alios fines conformata, ad invicem moventur & uſus mirandos præſtant; neceſſaria ergo multiplex, diverſa, & exquiſitè ordinata oſſium inter ſe conjunctio.

OSSA ab invicem removeri non poſſunt abſque functionum læſione; hæc autem remotio, vel fit quando oſſa inter ſe

C



firmiter juncta dehiscunt & tunc vocatur separatio, distorsio; vel accidit articulis mobilibus & tunc audit Luxatio; hinc dicenda est Luxatio, recessus extremi ossis mobilis vel plurium ossium ex cavo, in quo naturaliter moventur.

Cum pro variis articulis, variâque partium circumstantium dispositione, diversus sit Luxationis modus, imò diversa se offerant curationis media; Luxationum doctrinam præcedere debet articulorum mobilium cognitio. Articulus autem mobilis, habitâ ratione motûs producendi, dividitur in Diarthrosim manifestam, vel obscuram. Prior Diarthrosis, conspicuum habens motum, subdividitur, & vel rotationem seu plures admittit motûs species, vel in duas tantùm directiones movetur. Illa fit quando caput majus vel minus profundæ, vel leviori cavitati jungitur, & tunc dicitur Enarthrosis & Arthrodia; dicuntur illæ etiam orbiculares; si autem plana ossis superficies planæ cavitati supersedeat, tunc articulus *planiformis* distinguitur. Diarthrosis, in duas tantùm directiones mobilis Ginglymi nomine apud Anatomicos donatur: fit quando extrema ossis capitibus aut cavitatibus conspicua suscipiunt & suscipiuntur. Hic articulus perfectus est, quando flexionem aut extensionem tantùm admittit; dicitur etiam tunc angularis (1); vel imperfectus quando præter flexionem aut extensionem alii motus obscuri eduntur; denique agnoscendus etiam ginglymus lateralis. Diarthrosis obscurum habens motum ad articulos modò dictos, quoad modum junctionis, revocari potest. His additur à quibusdam Amphiarthrosis (2).

Præter motus in uno quoque articulo conspicuos, annotanda præsertim Chirurgo ossium inter se junctorum proportio, quâ non tantum varii motûs, sed etiam variæ dimotionis species cognoscuntur. Consideranda etiam ligamenta quibus firmantur articuli; in juncturis orbicularibus laxiora capsulæ in modum disponuntur, quibusdam tantùm levioribus firmata ligamentis; in juncturis per ginglymum præter capsulare, lateralia adsunt ligamenta, imò alia pro variis usibus, ut sunt ligamenta articulorum interna aut externa: non omittantur etiam musculorum, aut tendinum articulos ambientium & moventium dispositio, situs, vis, numerus,

(1) *Winslow*, *Traité des Os secs*, *n°*. 133.
(2) *Winslow*, ibid. *n°*. 146. Heisteri Compendium Anatomicum, de Juncturis ossium, & omnes fere recentiores Anatomici.

actio ; his ritè cognitis offis dimoti fitus, dimotionis fpecies prænuntiantur. Denique ad fynoviæ naturam, articulorum cartilagines, vafa vicina, texturam cutis, pinguedinis fuppofitæ quantitatem, attendendum ; ex his enim cautelæ totidem in curatione obfervandæ.

Ex modo dictis jam concluditur difficiliùs à fe dimoveri offa per ginglymum juncta, faciliùs verò ea quæ per Arthrodiam aut Enarthrofim ; dimotionem incompletam frequentiorem effe in articulis per ginglymum ; tantò faciliorem effe Luxationem, quantò minor eft proportio cavitatis recipientis cum capite recepto ; minorem adeffe refiftentiam à ligamentis juncturarum capfularibus ; pro variâ mufculorum actione variam requiri vim & difpofitionem, ut os dimotum reducatur ; cartilaginum contufioni effe providendum ; vaforum compreffionem amovendam ; fynoviæ congeftionem aut depravationem præcavendam, denique pro integumentorum conditione diverfi-modè curandum.

Luxationum variæ dinumerantur fpecies. 1°. Habitâ ratione modi quo os è fuo articulo excidit, dividuntur in completas & incompletas : completa ea eft in quâ os abfolutè ab articulo dimovetur ; incompleta verò ea in quâ vel partim tantùm exiit, vel in cartilaginum margine retinetur. 2°. Quoad effentiam, dicitur fimplex, quando unicum os abfque accidentibus dimovetur ; compofita, quando plura offa è fua fede excidunt ; complicata tandem, fi adfint fimul vulnus, fractura, contufio gravior, gangræna, &c. 3°. Propter fitum offis luxati denominantur fuperiores, inferiores, internæ, externæ. 4°. Habitâ ratione temporis, recentes aliæ, aliæ antiquæ.

Discrepant etiam Luxationes ex caufis quæ diftinguuntur in externas & internas ; inter priores funt, ictus, lapfus, nifus vehementiores, motus violenti, vis denique externa quælibet, cujus actione fubitâ os removetur à centro fui motûs. Caufæ internæ annumerantur convulfio, laxitas ligamentorum, paralyfis, fynoviæ congeftio, aucta offium receptorum moles, vitiata cavitatum conformatio ; illæ caufæ, exceptâ convulfione, tanquam prædifponentes tantùm habendæ funt, actionemque vis externæ articulo illatæ fupponunt.

Luxationum diagnosim constituunt præsertim dolor in articulo, membri movendi difficultas, aucta vel imminuta partis longitudo, tumor ubi ossis caput subsedit, cavitas verò in loco unde os excidit, mutata partis conformatio; denique cum ossa oblonga musculis fulchrum præbeant, sintque eorum respectu tanquam hypomochia illorum vim & actionem dirigentia, post Luxationem mutatur musculorum situs, osque impulsum in unam partem, tantò magis altero extremo versùs partem oppositam tendet; unde consideratum ossis extremum hunc vel illum ejusdem ossis luxati situm necessariò indicabit. Quomodo nam dignoscatur Luxatio simplex, composita & complicata; completa & incompleta; superior aut inferior; recens vel antiqua, sufficienter patet ex differentiis antea memoratis. At pro causis inter se distinguuntur Luxationes, in eo quod Luxatio à causâ externâ vim subitam supponat, doloremque vehementem ut plurimùm habeat comitem; contra Luxatio à causâ internâ, exceptâ tamen eâ quæ pendet à convulsione, lentiùs oritur, doloris vehementis sæpiùs expers, & diversi-modè indicatur pro morbi antecedentis indole. Denique non omittantur signa ex rebus morbum præcedentibus deducta, necnon signa pro quolibet osse luxato pecularia.

His positis patet Luxationum prognosis à læsâ partium structurâ, ab articuli specie, ab essentiâ, modo, tempore, causis morbi, ab ætate & naturâ ægrotantis deducenda.

Tumor, dolor plùs minùs-ve intensus, motûs difficultas, membri ingurgitatio, quandoque stupor si nervi comprimantur, inter accidentia Luxationum primitiva annumerantur; consecutiva verò sunt pertimescenda paralysis, gangræna, inflammatio articulorum, suppuratio, anchylosis, atrophia.

Ad Luxationum curationem obtinendam, requiritur 1°. ut os luxatum reponatur, 2°. ut os repositum contineatur, 3°. ut accidentia præsentia arceantur, & futura præcaveantur, quæ omnia aliquam equidem in Chirurgo industriam, præstantiorem verò rerum Anatomicarum, Pathologicarum & Therapeuticarum doctrinam requirunt; alioquin periculi minimè expers fit curatio.

Indicatæ licèt, citiùs quam fieri poteſt, oſſis luxati repoſitioni obſtant tamen quandoque fractura, inflammatio gravior, tumores, ſanguinis effuſiones. In priore caſu, ſi os longè ab articulo fractum ſit, tentanda etiamnum repoſitio; ſi contra adſit propè articulum fractura, tunc oſſa conſolidanda priùs; adhibitis emollientibus & reſolventibus, ligamentorum rigiditati, ſynoviæ ſtagnationi providendum eſt, calloque indurato, os luxatum reponitur. Inflammatio gravior, aliaque accidentia remediis accommodatis, diſcutienda priùs; ſin minùs pertimeſcendæ ſunt ſuppuratio, gangræna, anchyloſis.

Extensione, contra-extenſione, & impulſione in ſedem naturalem, obtinetur oſſis luxati repoſitio. Ut autem ritè abſolvantur hæ operationes, æger, pro ut commodum fuerit Chirurgo, collocandus, vel in ſedili pro artubus ſuperioribus, vel ſuprà lectum pro inferioribus; extenſio contra-extenſioni æquilibrare debet, earum actio gradatim promovenda, pro ratione dimotionis & muſculorum reſiſtentiâ determinanda; oſſibus luxatis quam immediatè fieri poteſt, applicanda, pro muſculis tenſis vel laxatis diverſi-modè dirigenda. Hæc ſunt præcepta uſu recepta, & ab omnibus autoribus confirmata, à quibus tamen deflecti poteſt, rationibus poſteà dicendis.

Musculorum tenſione minutâ, parteque ad naturalem figuram tendente dignoſcitur oſſis caput è loco retinente dimoveri, ſatiſque virium in extenſione impenſum demonſtratur; tunc digitis, vel manibus mitiſſimè quantùm fieri poteſt, comprimendum, torquendum & impellendum os in ſedem naturalem, per eamdem quà exciderat viam dirigendum, moderandumque ne articulus concutiatur. Imminutus dolor, abſentia tumoris ab oſſe efformati, pars redintegrata, motus reſtitutus perfectam reductionem indicant.

Extensio & contra-extenſio manuum duntaxat, aut ſi hæ non ſufficiant, laqueorum ope perficiuntur.

Quandoque tamen tanta eſt partium reſiſtentia ut hæc media tanquam impotentia habita fuerint, hinc varia & totidem à veteribus propoſita, nec-non magno conamine inventa machina-

menta quorum delineationem & deſcriptionem videre licet apud Oribaſium (1), Paræum (2), Scultetum (3), hinc pro variis oſſibus luxatis, trochleæ, ambe Hipocratis, ejuſdem ſcamnum, ſcala, porta, talum, baculus, aliæque machinæ (4): verùm cum manibus aut laqueis juxta Artis regulas adhibitis, ſufficiant ſæpius vires, & ſi neceſſe ſit, augeantur, multiplicentur, ſicque partium reſiſtentia vincatur; hinc obſoleverunt apud recentiores pleraque machinamenta à veteribus decantata. Et quidem meritò, cum nihil ferè aliud præſtent, quam ut ægrorum in extenſione metum, terrorem, ac cruciatus abſque utilitate augeant.

Propositum finem meliùs non adimpleret aliarum machinarum adinventio; meminerint veri Chirurgi à machinamentis parùm eſſe ſperandum, ſatiùs verò eſſes confidendum præceptis & rationibus ex partium ſtructurâ & functionum læſione, deductis.

Vires extendentes & contra-extendentes oſſi luxato quam proximè fieri poteſt applicandas eſſe, uſu antiquiore invaluit; verùm ſi attendatur oſſis reducendi difficultatem, minùs pendere à reſiſtentiâ muſculorum contractorum, quam à contractilitate in iiſdem muſculis auctâ, intempeſtivè ſupra ipſos applicatis viribus, inde machinamentorum vitium arguitur, mutandaque virium applicatio, intelligitur. His rationum momentis ducti novam faciliorem mitioremque methodum oſſibus luxatis fractis-ve reducendis nuper propoſuere laudandi duo Academici Chirurgi Pariſienſes. M. Dupouy, cum Academiâ communicavit ſe viribus parcioribus luxata quædam oſſa in ſedem naturalem faciliùs impuliſſe, modò vires in loco diſtanti ab oſſe luxato, applicentur, uti ad carpum pro humero reducendo, & ad malleolos pro femore. Homini ponè rhedam aſcendenti, femur exteriùs violenter luxatum eſt: reductionem oſſis juxta Artis regulas incaſſùm tentavit Chirurgus ad ægrum convocatus. M. Dupouy femur luxatum ad ſanum horizontaliter appoſuit, miniſtroque comprimente genu, pedem attraxit, hocque abſque violentiâ moto, ſtatim femoris caput cum ſtrepitu quodam articuli cavum

(1) De Machinamentis.
(2) Libro de Luxationibus.
(3) Armamentarium Chirurgicum.
(4) His addenda Machina celeberr. M. Petit cujus deſcriptio & uſus leguntur; *Traité des Maladies des Os*, Tom. 1.

repetiit. (1) Causam felicis hujus eventûs meditanti patebit; impulsionem ossis ideò esse faciliorem, quia vires extendentes musculis contractis non applicantur. Enim verò cum in hac methodo manus vel laquei non comprimant musculos extendendos, inde minor doloris summa & inde etiam minor in partibus resistentia, musculi faciliùs cedunt, facilior proinde ossis impulsio.

Si remota à parte affectâ vis extendens ossis reductioni favet; iisdem rationibus vis contra-extendens musculis partis non est applicanda. Utile hoc curationis punctum proposuit M. Fabre, doctrinamque addidit ex partium structurâ desumptam de contra-extensione celebrandâ: re quidem verâ si in femore luxato laqueus inguini læso incumbat, tunc necessariò musculum tricipitem, aliosque vicinos comprimet, unde dolor & major contractio in musculis qui reductioni obstant, nedùm faveant. Contra si inguini sano imponatur laqueus, & corpus altero laqueo supra sanum ilium transversim applicato retineatur, ut priori obliquè trahenti non cedat, tunc sufficiens adest ex parte corporis resistentia, musculique faciliùs cedentes, ossis impulsionem non impediunt. Idem statuendum de humero luxato; inde tutior, facilior, promptior Luxatorum Chirurgia, laudanda certè si quidem de humano genere tam bene meretur.

Osse luxato in suas sedes compulso, proximum est ut in situ naturali contineatur, quod obtinetur fasciis & partis situ. In Luxationibus à causâ internâ conducunt, imò necessariæ sæpiùs fasciationes: contra in Luxationibus à causâ externâ, cum os reductum spontè retineatur, medicamentis continendis, præsertìm inserviunt. Situs varius esse debet pro variis ossibus luxatis; artubus superioribus competit mitella, inferioribus verò situs resupinus commendandus; pars firmanda, medicamentis pro re natâ accommodatis fovenda; per curationis tempus identidem movenda, ne ligamenta obrigescant.

Cæterum ut accidentia præsentia arceantur, varia pro eorum naturâ, competit curandi norma; sic sanguinis missione plus minus-ve repetitâ, potu leniente, diluente, laxante, minuuntur

(1) *Mercure de France 2. vol. Juillet 1763.*

inflammatio, dolor, tenſio; topicis laxantibus; emollientibus; ſublevatur motus difficultas à tenſione orta; contrà reſolventibus, quæ pendet à ſynoviâ congeſtâ; ſpirituoſis applicatis evaneſcit membri ingurgitatio ab atoniâ; hypnoticis quandoque debellantur dolor & convulſio; motibus, frictionibus, balneis, fotibus cedit articulorum rigiditas; remotâ compreſſione quâlibet evaneſcit membri ſtupor. His ritè adminiſtratis, faſciis ut decet applicatis, ſitu parti accommodato præcaventur etiam accidentia, ſicque perfecta obtinetur curatio.

Has Theſes, DEO JUVANTE, & Præſide M. TUSSANO BORDENAVE, Artium & Chirurgiæ Magiſtro, Scholarum Præpoſito, Profeſſore Regio, Regiæ Chirurgorum Academiæ Conſiliario, & pro commercio Extraneo Secretario, *tueri conabitur*, NICOLAUS GUYENOT, *Louanæus Biſuntinenſis, in almâ Univerſitate Pariſienſi, Artium liberalium Magiſter, nec non Baccalaureus Medicus Biſuntinenſis.*

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

Die Sabbati 22ª. Septembris, *à ſeſqui-ſecundâ poſt meridiem ad ſeptimam, Anno R. S. H.* 1764.

PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.

Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii Typographi.